



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 99. Danielis Barberi fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A.C. 1569.

§. XCIX.

Danielis Barbari fata.

*Thuan. l. 46.
Gesner. in
Bibliothec.*

Hoc item anno Italia deplorabat obitum Danielis Barbari, qui præclarum Venetæ Reipublicæ ornamentum celeberrimi Hermolai Barbari Pronepos erat. Hic Philosophicis, ac Mathematicis disciplinis apprime eruditus, sicut olim ejus Pro-Patruus, qui Aquilejensis Patriarcha designabatur, dicere solebat, *si Christianus non essem, in Aristotelis verba jurarem: tanti enim habebat ingenium hujus Philosophi, qui juxta Hermolai opinionem tam feliciter veritatem indagavit, ut illam etiam solis naturæ viribus in qualibet nature parte invenerit.* Postea Barbarus seipsum penitus Theologiæ studio utpote status sui conditioni magis congruo dicavit, pluraque Græcorum Patrum opera latine reddidit, quorum aliqua typis impressa prodierunt. Obiit hoc anno die decima tertia Aprilis, vix inchoato quadragesimo primo ætatis suæ anno. Ceterum semper a fastu, & ambitione plurimum alienus vitæ suæ dies transigebat.

§. C.

Cælius Secundus Curio fati funditus.

Thuan. l. 6. Cælius Secundus Curio pariter sequentis Mensis Novembris die viginti